

**Quaestio medica ... Sub hac verborum serie. An febris ab obstructionibus?
... / [Gaetano Azzopardi].**

Contributors

Azzopardi, Gaetano.
Rideux, Pierre, 1674-1750.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud Joannem Martel, 1730.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cuhmzx49>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



52869 /,°

AZZOPARDI, G. G.
C

Supply P (P)

QUÆSTIO MEDICA.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA,

PRÆSIDE

ILLUSTRISSIMO VIRO D.D. PETRO RIDEUX

Regis Consiliario & Medico, in Almâ Monspe-
liensium Medicorum Academiâ Professore Re-
gio dignissimo, & Societatis Regiæ Scientiarum
Socio meritissimo.


Sub hac Verborum Serie.

A N

FEBRIS AB OBSTRUCTIONIBUS?

QUAM DEO DUCE ET AUSPICE DEIPARA

Propugnabit in Augustissimo Monspeliensi Apol-
linis Fano, ab horâ octavâ ad meridiem usque,
die mensis Novembris, anni 1730. JOSE-
PHUS CAJETANUS AZZOPARDUS
ex Civitate Valettâ apud Melitenses, Artium
Liberalium Magister, jamdudum Medicinæ
Alumnus, & Universitatis Consiliarius.



MONSPELI,

Apud JOANNEM MARTEL, Regis & Universitatis
Typographum Ordinarium. 1730.

DISPUTATURI.


PROFESSORES REGII.

- 18332
- R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius et Jūdex.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac, *Serenissimi Aurelianensem Ducis Archiater.*
R. D. Antonius Deidier, *Sancti Michaëlis Eques.*
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Joannes Astruc.
R. D. Henricus Haguenot.
R. D. Jacobus Lazerme.
R. D. Franciscus Chichoyneau, *Filius, Partris Coadjutor.*
R. D. Gerardus Fitz-Gerald.



DOCTORES ORDINARII.

- M. Hugo Gourraigne.
M. Nicolaus Fournier.
M. Antonius Ferren.
M. Andreas Cantwell.







EXCELLENTISSIMO DOMINO
F. D. ANTONIO MANOEL
DE VILHEN A,
SACRÆ DOMUS HOSPITALIS
SANTCI JOANNIS HIEROSOLYMITANI
ET MILITARIS ORDINIS
SANCTI SEPULCHRI DOMINICI
MAGNO MAGISTRO;
NEC-NON
INSULARUM MELITÆ ET GAUDISTI
PRINCIPI SERENISSIMO.

EN tandem, SERENISSIME PRINCEPS, Pedes effert è Tenebris parvus
iste atque incultus Libellus, quem ad Typum

*

paratum cum inspicerem , in eoque viderem ,
quam tenui Ingenii Filo contextus foret , quam
parum firmus , quamque mancus incederet ,
eum novo quodam Præsidio erigendum putavi.
Nec aliud quidquam stabile magis , & firmum
deprehendi , quam si in Publicum prodiret Tuu
Nomine insignitus : Ideoque hunc ego ei Me-
cœnatem hodie eligerem , à Quo possem ipse il-
lustrari ; Cui qualemcumque bujuscē Laboris
mei primum Fructum , prorsū acceptum re-
ferrem ; Cujus denique licet expertus jamdu-
dum Benvolentiam , mihi non conciliarem mo-
dō , sed & assererem in perpetuum : Nec mihi
tantummodō , sed & Parenti meo charissimo ,
qui ab Initio Tui felicissimi Principatūs , ad
nobile Proto-Medici Munus , in totis M̄litæ
& Gaudisi Insulis , pro tuā in eum maximā
Benignitate promoveri voluisti.

Hæsi , non diffiteor , aliquandiū ad tantæ
C̄ELSTITUDINIS Aditum cunctabundus , dum
Exiguitatem Muneris ex meā Tenuitate magis ,
quam ex PRINCIPIS Facilitate metirer . Sed
quem Amplitudinis Reverentia deterrebat , Fi-
ducia Patrocinii revocavit . Nimirum hanc
mibi Spem suavissimam , firmissimamque inje-
cit Humanitas Tua , PRINCEPS SERENIS-

SIME.

SIME, futurum certè, ut quemadmodum mag-
nus ille olim Persarum Domitor Alexander,
pauculas Aquæ Guttas Sibi ab uno ex Mili-
tibus suis oblatas, grato excepit Animo; ita &
Tu hunc quantumvis exiguum Ingenii mei Fæ-
tum non dedigneris: Scilicet non indignum te
arbitraris, si Te ita dimittis, Qui probe nosti,
à nullo periculo, ut ille aiebat, Fortunam Prin-
cipum longius abesse, quam ab Humilitate;
& cui nihil ad augendum Fastigium supereft,
hunc uno Modo crescere posse, si se ipse submie-
tat securus Magnitudinis sue.

Suasit ergo, ut vides, PRINCEPS SERE-
NISSEME, suasit Laudis Cupiditas, suasit
etiam Ratio proprii Commodi Tuum ambire Pa-
trocinium; quod nullum ad securitatem firmius,
vel ad Splendorem nancisci poteram glorioius,
& certè quocumque Oculi incident, ea in Te,
atque in Domo Tuâ occurrunt, quæ mihi De-
cuss ac Präsidium afferunt aut pollicentur. Otio-
sum tamen sit commemorare hoc Loco vetustis-
simi Generis Tui Claritatem; nisi forte inveniri
quispiam Homo novus possit, cui nota non sit,
quæ in ipsis Historiæ Monumentis inscripta ma-
net longissima Avorum Tuorum Series. De Te

etiam de quo prædicari plurima possunt & maxima, nihil jam pridem prædicandum Fama reliquit.

At vero cui non occurrunt modò in ipsa Nominis Tui Appellatione, cui inquam non occurrunt, tum Lusitaniae, tum Hispaniarum Reges, FERDINANDI III. Cognomine SANCTI CASTELLÆ REGIS Nepotes, à quibus præclaram ducis Originem; cui non se offerunt Heroes sexcenti, quos è Sinu suo protulit quondam, & quotidie profert Familia Tua, alios Insulis venerandos, alios Bello & Armis terribiles, alios denique Pietate suâ aded insignes, ut Cœlitum Numero adscribi jam meruerint: At cui non occurrit præ ceteris omnibus, magnum illum Belli Ducem loquor Patrem Tuum Illustrissimum DON SANCIMUM MANOELEM DE VILHENA, COMITEM VILLÆFLORÆ, Cujus Animi Fortitudinem experta olim, nunc etiam prædicat Lusitania universa? Sed quid Avos memorem, ubi in Te uno, omnes vigent, florentque Avorum Tuarum Virtutes! Nec mirum sanè si floreant; hoc enim habet inclytus Sanguis, ut cum Nobilitatem tribuit excelsos quoque Animos ingeneret,

qui ad præclara quæque stimulent & accendant.
Hinc bellica illa ac Martoria Virtus Tua , quâ
dum Prælia parares , sublimis in Equo , Mar-
tique similis , terribiles undique vel Hostibus
Minas spargebas , vel Tuorum Militum Ani-
mos irasque inflammabas ; quâ in Præliis Turcas
sæpius insequens , sæpius fregisti , fudisti , profli-
gasti ; tantâque , sed notâ perculisti Formidine , ut

Jam Lucri securus ovet Mercator , & audax
Tentet Iter ; nec jam metuat , ne fortè Sabæâ
Merce gravem rapiat Prædo : Secat Oequora certus
Conjugium optatum , dulcesque revisere natos.

quâ in obseßas Urbes , PER EVERTSA
MOENIA , Victor atque triumphans ,
erumpere plerumque visus es ; quâ deni-
que , ut paucis complectar omnia , tam multa ,
tamque pleclara Facinora edidisti , ut existima-
verit Ordo nobilissimus , non minus Æquitatis
suæ fore quam Utilitatis , si in tantâ maximo-
rum Hominum Copiâ , Te ex omnibus unum ,
universi Ordinis PRINCIPEM eligeret .
Cujus certè Facti æquitatem ac Sapientiam pro-
bant non Tua duntaxat in Bello præclare gesta ,
sed egregii etiam Mores Tui , in quotidiano Vi-
tae civilis Uso . Talis enim es , PRINCEPS

S E R E N I S S I M E , ut Nihil Præstantia In-
genii de Modestia , Nihil Fortuna de Humanita-
te , Nihil fælicitas de Amicitiae Fide & Con-
stantia detrahat . Imò hæc maxima Tua Laus est
quod Fortuna illa ac Fælicitas , non omni mo-
dò Invidia careat apud Te , sed jucunda quoque
& grata omnibus sit : Scilicet cum Fælicitatem
illam & Natalium Splendor , & Virtus propria
Tuam fecissent , Tu communem omnium Fælicita-
tem regiâ quâdam Munificentia effecisti . Hanc
nimirum suam arbitrantur , putantque ad se se
pertinere , tum Populus , cuius Comm̄dis stu-
des ; tum Familiares , quos Tuâ frui Prospeli-
tate vis ; tum Clientes , quos numquam finis
abire Beneficiorum Tuorum omnino expertes .
Quâ Ratione agendi regales ostendis Animos ,
Decusque illud maximum posse de omnibus bene
mereri . Quod ad Viros Principes præcipue spec-
tat , non tibi tantum vindicare visus es , sed
majus quoque in Te quodammodo effecisse . Ne-
que enim Principes omnes seu nolint , seu nes-
ciant quæ possunt , omnia aliis tribuunt . Tu
vero quæ omnia potes , omnibus eximiâ quâ-
dam Benignitate largiris .

Verum quid in Te meis Laudibus exornan-
do

do diutius immorer? Sat profecto Laudum
habet Ille, qui meruit laudari ab omnibus,
Cujusque tam præclaram mentionem facturi
sunt Annales, non Lusitaniæ tantum, aut
Melitæ nostræ, sed Italiæ, sed quam latè pa-
tet in utroque Hemisphærio, Hispaniæ univer-
sæ. Taceat igitur quidquid præconium est; æter-
na Tua Laus erit, PRINCEPS SERE-
NISSIME, ipsamet Virtus Tua, quæ
æternum Tibi atque immortale Nomen peperit:
Imo pereant Annales illi, qui tam præclaram
Tui Mentionem facturi sunt; pereant Tuo jam
jam pridem posita Nomini Monumenta, non
peribit tamen Tui Nominis Fama, VILHENÆ
GENTIIS Præstantiam sine Monumentis Pos-
teritas intelliget. Nec erit cur inter reconditiores
Annalium illorum Recessus, queri Laus Tua
debeat, quæ in ipsâ statim MANOELIS DE
VILHENÆ Appellatione se offeret. Nomen
Tuum igitur Posteri, humanissime exceptum,
diligenterque custoditum primi secundis, pari
Humanitate parique Studio colendum tradent,
alii deinceps aliis, & Nati Natorum, & qui
nascuntur ab illis.

*Diu nobis interea vive, PRINCEPS
SERENISSIME, qui aeternum Posteris
victurus es, vale, & fave.*

*C E L S I T U D I N I S
T U A E S E R E N I S S I M A E,*

*Servo humillimo ;
& obsequentissimo,
CAJETANO JOSEPHO
AZZOPARDI.*

*Monspelii, die mensis
Novembris anni 1730.*



SERENISSIMO PRINCIPI,
F. D. ANTONIO MANOEL
DE VILHENA,
SACRAE RELIGIONIS HIEROSOLYMITANÆ
MAGNO MAGISTRO, &c.

ARMA inter fæva, & squalentes cædibus agros
Si quisquam Musis pateat locus, aspice, Princeps,
Quæ, tua turba, tibi nullo munuscula cultu
Aggredimur, curasque humiles, bella, aspera bella,
Flammæque armorum, confusaque stragis imago
Interea abscedant, torvam, ô Dux inclyte, pompam
Pelle animo, & penitus totum abjice pectore Martem.

Jamque mihi videor redeuntem cernere Pacem,
Egregiam formæ Divam, Nymphasque Sorores
Rursùs in antiquas sedes, desertaque bello
Regna revertentes, pollutaque sanguine rura :
Floramque, Cereremque, Voluptatemque sequentem;
Omnes germanas, omnes lata arva colentes.
Inter quas nostræ, non ultima turba Camænæ
Ordine procedunt æquo, pariterque videntur
Voce loqui, pariter vocales tangere chordas,
Et trahere admirans nemus, & dare quercubus aures.

Namque canunt, ut post longi discrimina belli,
Turcatum immanes animos, atque aspera corda
Fregere indomihi Heroes, quos inclyta ferro
Assuevit Melita, atque adversum misit in hostem,
Sublimes Animas, & nomina dedita famæ.
Carmine nunc his Hunniades, funestaque Turcis
Virtus; nunc animi ingentes, & cognita bello
Scanderbeggiacæ memoratur gloria dextræ:
Ambo pates virtute, ambo præstantibus armis
Egtegii, paribusque insignes ambo triumphis.
Atque hic Heroum decora, & genus omne tuorum
Describant Musæ, cantuque morentur in isto,
Quique olim illustres, & quos præsentior ornat
Fama hodiè, frondetque recens in vertice Laurus.
Illa horum Melita auspiciis, & vindice ferro
Flectere non humiles Populos, & finibus istis
Frustrè indignantem poterat defendere Turcam,
Et regere Imperio, atque iris imponere morem.
Nonne vides, versâ crescentis imagine Lunæ,
Cedere turbatas acies? ut sanguine rivos
Crescere, ut insuetam miraris surgere messem
Luxutie immodicâ, & fæcundos stragibus agros!
Tuque adeò, haud tantis unquam Majoribus impar,
Dum famam Heroum simul, & miraris & imples,
His etiam, his porrò viator celebrabere Musis,
Nea dubita, ne fortè tibi nil prodiga virtus
Majorum paribus vincendum liquerit armis.
Ecce triumphorum optanti tibi nascitur ingens
Rursus materies. Iterum fatalia bella
Ante oculos, iterum vesani Martis imago
Panditur: Ipsa mihi rursus Pax pulsa recedit,
Et plusquam videor jaculorum audire susurrus.
Ipsum inter medios quin te, Celsissime Princeps,
Sublimem in curru, & cinctum flagrantibus armis
Cernere erit. Nunc Hunniades, nunc maximus Heros
Scanderbeggus adest animo, accenditque volentem
Virtute immodicâ, & venientis imagine famæ.

I, sequere, ô decus, ô sécli spes altera nostri,
Egregios animi impulsus, & debita fatis
Bella tuis. Et jam juvat ire per aspera Thracum
Regna gelu, & tristi pallentes frigore Campos;
Jam rapidum Euphraten, frustrà impatientibus undis;
Legibus impones; jam Seras & ultima Baetra
Subjicies, galeisque bibes vietricibus Indum.
Scilicet adversum, sœva inter prælia, Martem
Dum fugit, & notum luctu pallescit ad ensem,
Et non degenerem agnoscit gens perfida dextram;
Nos humili pacis studio, nemora inter & amnes,
Quærimus occultam Naturam, oculisque remotos
Rerum ortus, Sanctos ausi recludere fontes.
Unde graves morbi; quæ pestibus extet origo.
Nec non & quæ causa latentem accendere febrem
Incipiat, penitusque ignes infundere venis.
Qualis ubi ambiguis primùm neglecta favilla
Viribus it, sylvâ Pastor quam liquit in altâ,
Languida, cunctanti similis, repensque per herbam
Pœnè nihil, tacitos furtim sibi colligit ignes.
Verùm ubi jam vires animamque accepit eundo,
Sicca inter folia, & ramos elapsa per altos,
Ardet, inexpletum flagrans, Cœlumque, diemque
Involvit fumo. Flammis nemora alta reluent,
Et penitus cadit in cineres Jovis aspera sylva.

[J. P.



QUÆSTIO MEDICA

AN FEBRIS AB OBSTRUCTIONIBUS?

PROOEMIUM.

FEBREM cum Bellini dividimus in Continuam & Intermittentem , singulas Febrium species complectentes. Hæc per intervalla , illa indesinentè ægrum afflit. Continua , vel Continens est , quæ non uno pergens tenore , sua habet Exacerbationis & Remissionis tempora , vel Continua propriè dicta , ab initio ad finem ubique æquabilis , vel saltèm sine Symptomatum Exacerbatione & Remissione periodica.

In hâc utrâquè classe , sicuti & Intermitten-

A

tium , plurimæ apud Authores enumerantur species diversæ ; quarum omnium licet Obstructionem causam esse semper principalem , magisque universalem credamus , ne solitos quæstionum Academicarum limites transgrediamur , hic unius Continuæ probandam suscipimus.

Nequè tamen suscipimus explicandam Hecticam , cujus causas conabimur alibi enucleare.

Argumenta suppeditabunt . 1º. Rei ipsius natura . 2º. Facilis ex indè Symptomatum explicatio . 3º. Observata varia . 4º. Aliarum opinionum refutatio . 5º. Medicamentorum Febris hisce curandis dicatorum operationes & effectus . Undè patet opusculum in quinque capita distribuendum .



CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTA ex Naturâ Febris desumpta.

CONSENTIUNT Recentiores naturam Febris sitam esse in accelerato Sanguinis circuitu , frequentiam pulsūs , & calorem præternaturalia inducente . Cujus causa proxima est frequen-

tior , validiorquè Cordis contractio , à majori influxu fluidi nervosi , & frequentiori Sanguinis ad Cor appulsi. Quæ Obstructiones necessariò consecutura evincemus, postquam ab iis Sanguinis massam adaugeri demonstraverimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Positis Obstructionibus , augetur Sanguinis Quantitas.

Omnia vasa Corporis humani , exceptis Intestinis , Lacteisquè , possunt considerari ut unicus cylinder. Vasa obstructa ut alter cylinder , priore minor. Suppositâ igitùr posterioris obstructione , prior totâ posterioris capacitate imminuendus concipiatur , eamdem tamen fluidi quantitatem , ac totalis cylinder transmissurus ; majorem scilicet , quam ipse hic cylinder partialis in statu naturali transmitteret. Quod idem est ac si per vasa , nullibi Corporis obstructa , nullam mutationem aliundè passa , major fluidi moles propelleretur.

Supponamus etenim vasa obstructa sese habere ad summam vasorum Corporis , triginta sanguinis libras continentium ut 1. ad 3. Constat idem esse , ac si vasis omnibus liberis , pristinæ quantitati quindecim libræ adderentur , cum 2 : 30 :: 3 : 45. Q. E. D.

ARTICULUS SECUNDUS.

Positis obstructionibus, Sanguinis ad Cor Appulus frequentior est.

Auctâ Sanguinis massâ, 1º. Singularum fluidi, in vasis singulis, columnarum diameter crescit, decrescitque superficies; juxta quam sit affrictus & motûs communicatio: Cumquè corpora de solâ velocitate (nam de mole nequeunt) communicant minor erit velocitatis deperditio. Quod idem est, cæteris eodem, ac anteâ, statu manentibus, ac si augeretur.

2º. Vasa magis pressa, magis distracta, majori se restituunt energiâ, (cùm omne corpus compressum sese restituat eâdem vi, quâ compressum fuit) majori impetu in humores impetunt, majori vi anteriùs propellunt, motum projectilem augent, hoc est, velocitatem.

Nequè dicas progressivum Sanguinis motum, solis capillamentis arteriosis celerem, venoso trunco nullatenùs acceleratum, pari passu moveri, ac si nulla foret Obstructio. Etenim si centum capillamenta, ex quibus quinquaginta supponuntur obstrui, ejusdem dentur capacitatis, itâ ut quodlibet capillum entum liberum, duplò majorem fluidi quantitatem continuò subeuntem, duplò majori celeritate transmittat; quis crederet peritum totum velocitatis incrementum in trunco venoso? Videatur potius eam fore duplo majorem, quam si nulla foret

foret Obstrūctio ; cum receptaculum hoc communne tot numero jam supponuntur particulæ ingredi duplò velociùs actæ.

Quod sequenti exemplo videtur posse probari. Sit Flumen suis inclusum undiquè aggeribus , Lacum inter & quinquaginta rivulos æquales , suis pariter aggeribus datos intermedians. Supponamus aquam dein ità distribui , ut quæ per duos anteà , jam per unum rivulum in Flumen decurrat. Concipitur totum Flumen agitandum , commovendum , majorique velocitate ad Lacum deferendum , ut ex innatantibus corporibus patebit.

Sed ut extrà omne dubium res ponatur. Supponamus decurrentis per quodlibet ex centum capillamentis liberis , fluidi molem ut unum velocitate ut unum exprimi in truncum venosum : Erit in statu naturali motus ut centum , i. e. velocitas ut unum in trunco venoso.

Positâ Obstructione quodlibet ex quinquaginta capillamentis , liberis manentibus , molem ut duo , velocitate ut duo aget in truncum venosum.

Undè sequitur , salientis , ex singulis quinquaginta capillamentis , fluidi motum esse ut quatuor ; qui numerus si multiplicetur per quinquaginta , habebis 200 . summam motûs in initio trunci venosi : Cumque moles eadem prorsùs supponatur , ac in statu naturali , erit velocitas necessariò major , nimirùm ut duo Q. E. D.

Præterea velocitas pendet à pressione unius particulæ in aliam. Fluidi verò intrà truncum venosum partes premuntur immediatè à partibus fluidi in quinquaginta capillamentis liberis contenti. Un-

dè qui hujus motum accelerari concedit, illius paritèr velocitatem adaugeri haud poterit negare.

3º. Obstructis capillaribus, reducitur Sanguis ad Cor per breviores vias, per alia scilicet capillaria, minus remota à Corde, tūm quoad originem à truncō arterioso, tūm quoad insertionem in truncum venosum. Ergo etiam si Sanguinis velocitas haud quaquam augeatur, debet tamen citius ad Cor reduci.

4º. Imò licet spatium, positis Obstructionibus, æquale fuerit spatio, quod Sanguis anteà percurrebat, debet tamen citius ad Cor reduci. Quod sic demonstro.

1º. Concipiatur spatum illud totale à Ventriculo sinistro ad Ventriculum usque Cordis dextrum trifariam dividi. Sit prima illius portio à Ventriculo sinistro ad initia Arteriolarum, quas cogitur Sanguis subire, qui per obstructa capillaria anteà pròvolvebatur. Sit secunda illius portio ab initio harumce Arteriolarum, ad ingressum usque trunci venosi. Sit tertia portio à truncō venoso ad Cor dextrum.

2º. Permitto Sanguinem positis Obstructionibus eadem moveri velocitate in prima spatii portione, ac in statu naturali, h: e: ac si nulla foret Obstructio. Permitto paritèr esse eandem velocitatem Sanguinis in tertia spatii portione, h: e: in truncō venoso, ac in statu naturali. Qui rejiciunt opinionem nostram, ipsi concedunt majorem esse Sanguinis velocitatem in secunda spatii portione, h: e: in Arteriolis liberis. Ergò minus absolute tempus insumitur in percurrendo spatio totali.

ARTICULUS TERTIUS.

Positis Obstructionibus, influxus Spirituum major est & frequentior.

Spiritus, humorum Corporis humani omnium pars subtilissima, in Cerebro, mirificâ corticis fabricâ, præparati, secernuntur à tenuissimo, purissimo, mobilissimo Sanguine arterioso, vi Cordis propinquî huc appulso. Horum quantitatem, in composita ratione quantitatis Sanguinis, celeritatis quâ rapitur, & aperturæ vasorum secretoriorum directâ, & visciditatis Sanguinis reciprocâ, esse demonstravit clarissimus Wainringht de Secret. prop. 17^a. & sequentibus. Positis autem Obstructionibus, augetur Sanguinis quantitas ex Articul. 1^o. augetur celeritas ex Articul. 2^o. in quorum compositâ ratione erunt secretorum oricia; & adauctâ celeritate humorum, fluxiliores evadent necessario, impingentibus in se saepius & majori energiâ particulis, hincque in minores moleculas divisis.

Accedit quod Sanguinis tenuissima, mobilissima & maximè defœcata portio ad Cerebrum semper appellat.

Unde positis Obstructionibus, sequitur maiorem fore Spirituum copiam, consequenter ubiorem imò & celeriorem influxum.

Quod si factæ Obstructiones, liberum in obstruc-

tas partes Spirituum influxum prohibeant, majori copiâ fluent ad alias partes, & proindè ad Cor.

Arteriæ tandem, Cerebri medullam circumrentes, Fibrisque vicinæ, præter solitum distentæ, frequentius solito & validius micabunt, partes has potentius, sæpiusque prement; undè major, validior, frequentior contenti fluidi expressio.



CAPUT SECUNDUM.

Symptomatum Explicatio.

I.

PULSUS validus est, quòd auctâ in Arteriis Sanguinis quantitate, sicuti & velocitate, crescit lateralis pressio; harum autem parietes distractiles sunt, ergo majori vi extorsum lati, majorem in appositum digitum iectum faciunt. Accedit validior Cordis contractio propter rationes superius stabilitas.

II.

Contractum Cor in appensas Arterias se exonerat, exprimitque contentum Sanguinem. Hæ repletæ anteâ, dilatantur, & micant. Undè Arteriarum diastole eandem habet frequentiam, vel quod idem est, toties intrâ idem tempus fit ac Cordis systole, cui est synchrona.

III.

3.

III.

Intensus adeſt calor hisce de causis. 1º. Quod majori Sanguinis quantitate, majori pariter velocitate provoluta per vasa libera, major sit motus quantitas, & actio fluidorum in solida, horumque reactio in illa augeatur. 2º. Propter auctam humorū quantitatem, nullā habitā auctae velocitatis ratione. Supponamus enim cuilibet Sanguinis particulæ, eundem ac anteā caloris gradum inesse; cùm jām plures in qualibet parte (exceptis obstructis) reperiāntur, major est necessariò calor. Uti sit dum radii solares ope speculi uestorii congregantur. 3º. Ratione Obstructionum præpeditur transpiratio, & retinetur, ut ita dicam, calor intrà Corpus, uti accidit in Mania; imò adaugetur.

I V.

Ab intenso calore crispantur fibræ, constringuntur Glandularum orificia, diffllantur attenuatae particulae aqueæ, Saliva parcior, spissiorque secernitur. Adde quod humores celerius acti, eā ferantur celeritate, supra colatoriorum ostiola, ut ingredi nequeant; vel eorum particulæ susque deque actæ ita sibi confundantur, ut secretiorum ostiolis, eæ saepius offerantur, applicentur, quarum sphæra secretoriorum diametro major est. Docuere enim Jugulares ligatae uberiorem secerni Salivæ copiam, Sanguine lentiùs per vicinas Glandulis salivalibus partes moto. Hinc Faucium ariditas, Sitis & Linguæ asperitas.

V.

Contractum jām frequentius validiusque Cor,

C

Sanguinem majori vi, s^epius intra datum tempus;
& forsan majori quantitate, in Arteriam pulmo-
nalem emitti. H^ec in inumeros divisa ramos,
Tracheæ ramis applicatos, Lobulorum interstitia
replentes, spatiaque inter cellulas aëreas media,
cellulosa dicta occupantes, ultimis ramis, rete
quoddam sat densum cum ultimis congenitis
Venæ ramis conficientibus, Vesicularum superfi-
ciem ambiens, coronans, ubique distenditur, vi-
cinasque partes, Bronchia scilicet, & Vesiculas
comprimit & angustat, quas minor copia aëris
subit. Unde Respiratio difficultis. Hinc æger me-
chanicè quasi conans aërem copiosorem insugere;
Musculos contrahit. 1^o. Scalenos, & quibus erigi-
tur figiturqne Cervix, Spinalem, Transversalem
& Interspinales colli, Longissimum dorsi & Semi-
spinatum. 2^o. Serratos anticos majorem, mino-
remque & quibus Scapula sursum & retrorsum
tracta, immobilis figitur, Trapezium, Rhomboi-
dem & Levatorem Scapulæ proprium. 3^o. Serra-
tum posticum superiorem, forsan & inferiorem.
Hinc laboriosa. Aër hoc mechanismo insultus, su-
bitò exprimitur, tūm inflatis novâ Cordis con-
tractione Arteriis, tūm aducto in musculos expi-
ratorios vitales simùl & voluntarios, fluidi nervosi
influxu. Hinc fortis, frequensque Expiratio, quam
exciens Inspiratio frequens est sed parva.

VI.

Sanguis majori quantitate, velocitate, & fre-
quentiâ in vasa propulsus, membranarum Cere-
bri, Capitisque vasa tenerima distrahit; hæcque

distractio eò est violentior in dura matre & Pericranio, quòd horum Cranio adhærentium vasa, non ex omni æqualitè parte, sed in unum tantùm sensum distendi queant. Hinc sit ut fibræ in latere à Cranio averso, totam permeantis fluidi pressionem patiantur. Undè dolor Capitis acerbus, externus, internusque sequitur.

VII.

Sanguis propter eandem rationem, majori impetu ruit in coetera Corporis vasa capillaria, non obstructa tantùm, verum etiam & libera. Horum tunicis subitaneâ vi pressis, Nervuli distrahuntur, quod molesta sequitur sensatio, cui anxietatis nomen inditum est. Hæc si in partibus Cordi vicinis v: g: Pulmonibus fiant, persistente diù, Polyposas concretiones, Inflammationes, Gangrænas, & citam mortem afferunt. Si in Hypocondriis, maximum sensum ægritudinis circà Stomachum. Si in Intestinis, Dysenteriam sœpè lethalem in extremis vero mitiora, facilius tolerantur.

VIII.

Vigiliæ adsunt pertinaces. 1º. Quod ratione Anxietatum, & caloris intensi, situm sœpius mutet æger, doloris levandi causâ. 2º. Quòd auctâ Sanguinis quantitate, magna adsit Spirituum quantitas, quibus generandis Somnus primariò forsitan servit. 3º. quod sœviant adeò dolores Capitis, ut eam animi tranquillitatem, quæ requiritur, ut somnus obrepat, tollant. 4º. Quod auctâ fluidi Nervorum copiâ, Fibræ Emporii tendantur magis, &

potentius oscillent. Unde vividiores Sensationes. Fibræ organorum externorum, facto majori influ-
xu continuo, objectorum impressiones facilius re-
cipiant, faciliusque Cerebro communicent.

IX.

Facilis patet explicatio auctarum in Febris ar-
dentibus virium, quæ cum aliud nihil sint, quam
Musculorum voluntati subjectorum motus, sunt in
ratione compositâ quantitatis Sanguinis, & influen-
tis fluidi nervorum, quæ sola cum illæsis Musculis
supponit.

X.

Urina tenuis, pellucida, flammea, ex nimiâ,
quâ Sanguis celeritate rapitur deducenda; cùm
datâ majori velocitate, fluidiores mixti particulæ
separentur.

XI.

Nec difficilis reddenda ratio Delirii. Tensis
enim Fibrillis nerveis, & percipiendi facultate acu-
tiore, ut itâ dicam, factâ, vel minimus motus ex-
tremo Nervo impressus vividam facit impressionem.
Verum quo vividior impressio, eò major Animæ ad
Ideam vel Sensationē excitatam, sive molesta fuerit,
sive grata, attentio, & par ratione ad præteritas qua-
vis minor. Unde præsentis contemplatione prorsus
detenta, eam cum præteritis, quarum levis percep-
tio supereft, vel novis, ad quas nequit sufficienter at-
tendere, non facto prævio examine, conjungit, aut
ab illis separat. Hinc Judicia elicet erronea, quæ vo-
cibus expressa, sermonem faciunt inconcinnum. Ad-

de

de quod adauctâ Sanguinis velocitate , & proindè tandem , particularum soliditate , micantes Cerebri Arteriæ , vel etiam Nervorum , vividas adeò pariant Fibrillarum Cerebri vibrationes , ac cierent objecta ipsa sensibus externis applicata. Hinc quæ absunt , ut præsentia repræsentantur , excitatâ infinitâ quasi Idearum & Sensationum diversitate ; quibus cùm ægri actiones respondeant , sibi contrariæ fiunt & oppositæ , ægerque delitare judicatur.

XII.

Dictarum Arteriarum subsultus (subsultim enim intrâ Arterias movetur Sanguis) si irregulares fuerint quoad vehementiam , frequentiam , locum , irregulares pariunt fluidi Nervorum influxus alternos. Hinc varii variarum partium motus convulsivi , violentæ scilicet , invitæ , & repetentes Musculorum contractiones. Idem si validi , regulares , constantes , frequentes sint , constantes pariunt regulares , sed validos influxus. Unde constans , invita , permanensque Musculorum contractio , quam Spasmodum vel Convulsionem dicunt nonnulli.

XIII.

Quod si Sanguis eâ appulerit quantitate , vel velocitate , vel utrâque simul ad Cerebrum , ut dilataæ Arteriæ Spirituum secretoria angustent , vel medulla undique involuta cortice , compressa , transitu eorundem careat ; relaxantur Fibriæ , ori- turque Somnus magis , vel minus profundus , pro ratione pressionis.

D.

XIV.

Eadem pressio, si fiat in Nervos cardiacos, vel horum principia, ut vel omnino, vel partim occludatur fluidi Nervorum transitus, subsequitur minor, vel nulla Cordis contractio; donec ea fuerit collecti fluidi quantitas, quæ pressionis impedimentum supereret. Unde pulsus inæqualis, intermittens. Præterea Sanguis, avolantibus perpetuo particulis tenuioribus, viscidior factus, ideoque tardius per Arterias motus, majorem contrahenti se se Cordi resistentiam affert. Hinc Cor, solitâ cujuslibet influxus fluidi nervosi copiâ, contrahi nequit; fit ergo contractionis mora, donec adaugeatur influentis fluidi quantitas, validiorem & frequentiorem contractionem productura.

Quod si allata resistentiam, influentibus etiam copiosius Spiritibus, Cor nequeat omnino vincere; expressi è Ventriculis Sanguinis portio aliqua, in eos, vel alterutrum (prout resistentia in Pulmonibus, vel reliquo Corpore hæret) repulsa, nec multò minori vi, quam quâ fuit è Ventriculis expressa, Palpitationem ciet, magnâ pulsū varieitate stipatam.

Sin autem in Auriculas, non finitâ earum contractione, retropellatur à Ventriculis angustatis vel obstructis modo quocumque, aliqua Sanguinis in eos ingredientis portio; sicut Palpitatio Auricularum.

Quæritur, 1º. An non Palpitatio Ventriculorum posset pendere à citationi Sanguinis ad Auriculas ap pulsū, inde expellendi in Ventriculos, antequam

eorum contractio omnino absolvatur? 2º. An non Palpitatio Auricularum posset pendere à citationi Sanguinis ad Saccos venosos appulso, inde trudendi in Auriculas, antequam absolvatur earum contractio? 3º. An non ex dictis posset explicari simultanea Ventriculorum, & Auricularum Palpitatio?

XV.

Ut visciditatis ratio plana fiat.

Notandum 1º, Remissiorem caloris gradum, quam qui aquæ ebullienti insit, saltèm æqualem, Serum Sanguinis in gelatinam convertere.

Notandum 2º. Cuti Hominis integrâ sanitatem, & anno trigesimo circumcirca constituti, inesse calorem, qui ad calorem aquæ ebullientis se se habeat, ut 16. ad 52. ut ostendit Thermometrum. Major sanè inest Sanguini.

Notandum 3º. Prædicti Hominis Arterias, sexagiès intrà minutum micare.

Undè sequitur. quod si quâ proportione sit frequentior pulsus, eâdem proportione augeatur calor (quod rationi absonum haudquaquam est, præsertim si illi eadem semper insit vis: Inest verò plerūmque major) calor prædicti Hominis, aquæ ebullientis calori æqualis erit, modò Arteriæ centum, nonaginta & quinque vibrationes intrà minutum edant. Nam

16: 52:: 60: 195.

Febricitantium autem Arterias centum & viginti vibrationes intrà minutum edere, saepius observatum est. Non est ergò multò major ebullientis

aquæ, quam febricitantium calor. Et hinc Pleuritico-
rum, morbisve inflammatoriis laborantium Sanguis,
sero viscidiore, vel quasi concocto immixtus, in pa-
tellam edacitur. Accedit magnum quod singulis in-
stantibus fit, tenuiorum particularum dilpendium.

XVI.

Crescente in dies hac visciditate, parca, vel fere
nulla fit fluidi Nervorum secretio, relaxantur fi-
bræ, laxique cutis pori, egredienti copioso, fri-
gido tamen, ob retardatum Sanguinis motum,
Sudori viam præbent.

XVII.

Quod si deficiant omnino Spiritus, & humores
lentiiori gressu circulentur; contractio Cordis de-
biliaris fit, major opponitur Cordi resistentia, pe-
rit circulatio. Hinc mors.

XVIII.

Solutionis Febrium ratio, sive solius naturæ vi-
ribus, sive medicamentorum ope curentr, mirâ
facilitate ex eadem doctrinâ deducitur. Etenim in
priori casu humores adauctâ quantitate, & veloci-
tate, ut superius demonstratum est, majorem vim
adepti (hæc quippe est rectangulum sub mole &
velocitate) in impactam vasis obstructis materiam,
majori ruunt impetu, hujus particularum cohæ-
sionem, repetitis, & frequentioribus ictibus tollunt,
eam.

eam comminuunt, abruptisque gradatim particulis, omnino discutiunt. In posteriori casu adhibentur remedia Obstructionibus tollendis apta, ut inferius patebit, ubi de horum actione.



CAPUT TERTIUM.

*Afferuntur varia Argumenta
Theoriam hanc confirmantia.*

I.

IN VADUNT ut plurimum Febres post suppressam vel imminutam aliquam evacuationem solitam, & solvuntur nunc Sudore copioso, nunc Urinæ proventu, interdùm Diarrhæâ exortâ, vel consimili quapiam Crisi. Stagnante scilicet in Glandularum folliculis vel vasis humore, attrito, diviso, expulso, verbo sublatis Obstructionibus. Cum igitur suadeat ratio positis Obstructionibus, Febrem necessariò poni, monstretque experientia iis sublatis Febrem tolli; quis dubitaret assertare Obstructiones veras esse Febrium causas?

II.

Secundum argumentum suppeditat clarissimus

E

Borelli de motu animalium Part. 2. Prop. 227.
 „ In cadaveribus inquit eorum , quos Febres jugularunt , nulla Sanguinis mutatio , notatu digna observatur ; sed frequentissimè Pulmones inflammati , & aliquando gangrænati , aut Exanthematis conspersi reperiuntur . Frequentius verò Lyen induratus & schirrosus . Semper tamèn observantur Glandulæ , aut duræ & schirrosæ , aut flavæ & lividæ , præcipue in Mesenterio . Nec dubitandam Glandulis aciem oculorum fugientibus idem accidere cum causis obstruentibus multo magis pateant .

III.

Demonstratum est à clarissimo Pitcarne , in dissertatione de curatione Febrium per evacuationes , citius , tutiùs , feliciùsque curari Febres , adauctâ excretione cutaneâ , quàm aliis omnibus sensibili bus simùl adauctis , hoc ipso præcisè , quòd ea excretio , cæteras omnes longè superet , h: e: quòd major , intrà idem tempus , materiæ copia , per cutim , quam per cætera simùl cola excernatur . Undè patet dari Plethora in omni Febre . Hæc autèm in multiplici casu , nec à nimia quantitate boni & laudabilis Chyli , in bonum Sanguinem covnersi , nec à rarescentiâ peti potest . Ergò ea est quæ imminutis aut suppressis evacuationibus , vel quod idem est , obstructis vasis succedit .

Nec parùm roboris habent ea quæ demonstravit doctissimus Bellini Capitibus tertio & ultimo de Febribus .

VI.

Opinionem nostram mirificè illustrant, confirmantque, Amputationes, Vulnera majora, Fracturæ & Contusiones ingentes. His enim statim supervenit Febris, major vel minor, pro numero sanguiferorum per quæ impeditur Circuitus. Sed in his casibus aliud nihil sit quam Plethora. Pone eadem vasa esse obstructa; peribit in iis, haud secùs ac in prioribus casibus Circuitus, induceturque eadem & Plethora & Febris.

Superveniens autem Febris, largâ vel sæpiùs repetitâ Sanguinis missione, non aliâ methodo immunitur, paccatumque humores motum recuperant, quod ex sublatâ Plethorâ unicè deducendum est.

Fateor quidem magnum dolorem posse Febrem inducere; cum omnis dolor stimulus sit, quem sequitur uberior fluidi nervosi influxus. Unde frequentior & major Cordis contractio. Sed nisi adauta supponatur Sanguinis quantitas, debet citò cessare Febris; cum major influentis fluidi copia, singulis instantibus imminuta, brevi defectura sit.

Præterea dolorem concomitatur magna partis affectæ contractio (vide Bellin. de Stimulis) quam vasa, non nervea tantum, sed & sanguifera partem angustantur, veraque sit utrorumque Obstructio, ut patet ex inflammatione doloris pedisse, quam.

V.

In Febribus à frigore , gravis adeſt vasorum Cutis, Oris, Laryngis, Ventriculi, verbo carum omnium partium , quibus aér externus applicatur, Obſtructio. Hæc ſenſibilis , & illius cauſam, non tantū expiſcari , ſed & dīgo indigitare facile eſt. Imò hæ Febres eatenūs poſſunt adaugeri, ut parūm vel nihil diſterant , Symptomatis , dura- tione , vel vchementiā , ab aliis periculofioribus continuis. Undè nec parūm lucis , nec parvi mo- menti argumentum Theoriæ noſtræ accedit. Ete- nim ut Physici concludunt percussionem eſſe cauſam occaſionalem motūs , hoc ipſo , quod obſer- ventur caſus innumerī , in quibus , non factā prä- viā percuſſione , non prodiſcit motus , & aliī caſus innumerī , in quibus factā percuſſione , prodi- ſit motus ; nonne pari jure concluderent Medi- ci , Obructiones eſſe Febrīum cauſas , cùm adſint plurimi caſus , in quibus evidens Obſtructio Fe- brem prodiſcat majorem vel minorem , pro ipſius vchementia , aliique caſus plurimi , in quibus non factā Obſtructio , non prodiſcit ; Prafertim cum de cauſis latentibus , per analogiam , ab aliis evidentioribus , eundem effectum producentibus ductam , ratiocinandum ſit ?

VI.

In iis regionibus , quæ Tropicos int̄er ſitæ ſunt , continuæ ſeu ardentēs , quæ graſſantur Febres , ab acrī

acri semper frigore oriuntur, vel vento admodum
frigido, nimios, subitosque ardores excipiente.
Hoc asserunt peregrinatores, qui aliam nullam Fe-
brium, harumce regionum causam assignant, præ-
ter subitas aëris mutationes. En Nobilis, cuius-
dam ad amicum suum Doctorem Medicum scri-
bentis verba. „Qui à locis, inquit, Boream in-
„ter & Occidentem positis flat ventus, subtilis
„admodum est, per totam hyemem, nec non &
„fervente æstate, calorem aëris minuit, sæpiùs-
„que improvidis, incautisque colonis, qui vestes
„scilicet inter versandas glebas deponunt, arden-
„tes infert Febres“ Quod hoc modo fieri videtur.
Excedente calore, dilatantur nimis vascula, quibus
est immediatè contiguus aër, Cutanea nimirum,
Trachealia, Bronchialia, Æsopaghi, Ventriculi
& Intestinorum, fitque major & copiosior per ea
secretio, Sanguine suis Particulis tenuioribus mul-
tum depauperato, sicciore facto. Interim tamèn
imbuuntur, remolliuntur, laxantur, & Glandulæ
locis recensitis positæ, & vasa quibus hæ donantur;
quæ omnia spongiosa quasi facta, à superveniente
frigore gelido, mirum in modum coarctantur, si-
mùlque cum liquoribus manantibus congelantur;
estque eorum angustatio vel coarctatio, nisi ma-
lueris eam congelationem vocare, proportionata
prægresso calori, & invadenti frigori junctis. Hinc
obstruuntur ad truncos usque Arteriarum ma-
iores, longè saltem ultrà Glandulas, sanguifera,
augetur Sanguinis quantitas, forsitan & qualitas vi-
tiatur, ut stagnantibus liquoribus solemne est.

Hinc facile patet ratio Febrium, subitanas

aëris mutationes subsequentium. Præsertim cum æstuantem calorem diurnum, nocturnum frigus gelidum excipit; ardores æstivos, pluvius nimbosusque Autumnus; vel molliorem hunc, cito pede premit glacialis Hyems, ut Practici omnes observant.

Neque frigus tantum, calori superveniens, Obstructiones parit, sed & hic illi insistens, eundem parit effectum ut manifestum est, dum quis membra frigore torpida, igni citius admovet. Et indè facilis est ratio Februm, aliorumque morborum inflammatoriorum, quos observavit Sydenhamus Londini annis 1665. & 1666.

VII.

Non in alia quapiam opinione videtur posse explicari, cur declinante Febre, secreti criticè humores adeò differant ab iis, qui naturaliter ex Sanguine per eadem colla derivantur. Hoc è nostra evidenter sequitur. Obstructis enim vasibus, stagnant necessariò humores, quorum qualitates possunt propter moram, millesas pati mutationes.

Hinc ad examen aliarum opinionum quasi manus diducor.





CAPUT QUARTUM.

Aliæ Opiniones ad Trutinam redactæ refelluntur.

INTER plurimas, quæ passim feruntur de Febris opiniones, duas tantum examini subjicimus, ut potè celebriores, & vulgatiùs receptas, duobus articulis tractandas.

ARTICULUS PRIMUS.

PRIMA OPINIO.

Febres oriri credunt Authores plurimi, à materia, quam vocant alii morbificam, alii fermentum, veneni vices gerente, quæ vel in Corde existit, & ratione mordacitatis Cor irritat; vel Sanguini commixta, vias circulationis cum illo perlegens, gravia hæc quæ observantur Symptomata producit.

Opinionem hanc, validis rationum momentis jam debellavit Clarissimus Borrelli in suo de motu animalium Tractatu, part. 2. proposit. 221. 222. 223. & 224. Quarum hæc sunt argumenta.

„ Non à foco vel fermento in Corde
„ existente Febris accenditur.

„ Non accenditur Febris à Sanguine al-
„ terato fermentatoque: Neque ob morda-
„ citatem ejus Cor irritatum febrilem ex-
„ candescentiam efficit.

„ Non accenditur Febris à Chilo alienæ
„ naturæ à Sanguine, qui fermentationem
„ ebullitionemque ejusdem Sanguinis in-
„ ducat.

„ Experimentis comprobatur, quod San-
„ guis alteratus à caliditate, putredine, vel
„ ab admixtione Salium, aut Sulphuris Fe-
„ brem non producit.

Rationum momentis quibus hæc summa capita
suis locis probantur, sequentia liceat adjungere.

Non aliâ methodo curari potest vitium, quod
toti massæ, permixta inducit corrupta aliqua ma-
teria, quam vel efformando nova secretoria, qui-
bus possit derivari; vel toti liquorum massæ sub-
tractæ novam laudabilemque supponendo; vel de-
nique secretoria vasa ita disponendo, ut vitiatam
non aliam secernant materiam.

Primum ridiculum est.

Secundum, licet huic aliquid consimile, in mor-
borum chronicorum, Luis venereæ inveteratæ,
vel Strumarum curatione, Medici nonnulli, præ-
fertim Humoristæ contendant, in Febrium curâ,
fieri, nemo ut credam existimabit.

Quoad tertium, perpendamus 1º. Quam sit ratio-
ni inconsentaneum, vitiatâ totâ humorum massâ,
singulas corruptæ materiæ guttulas, vel particulas,
simil.

simùl vel intra paucas horas eliminati: Uti sit in Februm Crisibus. Gradatim operatur Natura, multumque in magnis effectibus temporis impendit.

2º. Undè vasis secretoriis, si non omnibus, falsoem plerisque, diversa proflus in statu naturali separantibus, ut eandem simùl, morbificam putat, materiem secernant?

3º. Cur Criseos, non alio quovis tempore ita mutetur eorum dispositio?

His non aliter respondendum, Phœnomena hæc non aliter explicanda, quam vel suppositis miraculis, Veterum Sympathiis, Antipathiis, qualitatibus occultis, vel admissâ, quam nos stabilire conamur, opinione.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECUNDA OPINIO.

Credunt alii Febres ortum debere materiæ cuidam viscidæ tenaci, glutinosæ, in Stomacho, vel Intestinis genitæ, indè Sanguinem subeunti. Cui opinioni ansam præbuere, quæ in Vomitu rejiciuntur hujuscæ generis materiæ.

Ista Opinio hæc supponit.


1º. Morbificam, quæ Vomitu excernitur, materiem in Stomacho, ante exhibitum vomitorium extitisse, cum cæteris, quæ indè in Sanguinem derivantur, materiebus.

2º. Posse fieri, ut materies hæc in Sanguinem traducatur. De priori commodiorem multò inferius dicenda locum nocturo hic silemus; posteriūs jam perpensuri.

Quicquid Sanguini extrinsecus introductum miscetur, vel per Lactea, vel per Absorbentia in eum transmittitur. Per Absorbentia autem, haud erit, ut credam, qui, materiem hanc venas subire, vel leviter suspicetur. Ideoque de Solis Lacteis tota quæstio versatur.

Lactea, ductus sunt longi & perquam exiles, membranis adeò raris confecti, ut nisi Chylo, vel Lympha distendantur, inconspicui evadant. Enascantur ab Intestinis præsertim tenuibus, principiis exiguisimis, hincque ad Mesenterii centrum, per ejusdem duplicaturam tendentes, singulis ferè passibus coeunt ad angulos acutos, iterumque secedunt; donec Glandulas hic sparsim positas ingrediantur. E' quibus egressi, maioresque facti, sed pauciores in Cysternam lumbarem terminantur.

Eorum oscula ex se minima, Oculi aciem, non nudi tantum, verum & optimo armati miscroscopio fugiunt. Per musculosas tunicas transgrediuntur, & obliquâ valdè in cavum Intestinorum viâ aperiuntur, undè major eorum angustia, ut patet ex subiectâ Figurâ.



A. B. Pars Intestini.

C. D. Vas Lacteum directâ in Intestinum viâ apertum.

C. E. Idem Vas Lacteum oblique hians in Intestinum.

Hæc ne sic disposita subire crederes glutinosæ, tenacisque materiei partes, magno sibi nisu hærentes: An potius solam partem fluidiorem, solidiorem, albam à parte crassiore, ramosâ magis & cinericiâ, aut flavâ separatam?

Hoc quidem videretur suadere. 1º. Ingens tenuissimorum humorum, hic loci confluentium quantitas. Salivæ, humoris œsophagi, stomachalis, biliosi, pancreatici, intestinalis lymphatici, Peyeriani, & forsitan nervosi, extremis Nervorum innumeris suppeditati, Chylum maximam partem componentium. 2º. Sequens experimentum à clarissimo Listero institutum.

Aperto juxta lineam albam canis vivi majoris Abdomine, extracta, quâ potuit solertia, intestina tenuiora expurgavit, compulsis scilicet premente manu in crassiora contentis. Per inflictum dein, extremo procul dubio Pyloro, vulnus, spiritum immisit, syphonis ope, tenuissimum, coloratum, copiosum; qui cum Lactea non subiret, manibus Intestina leviter compressit: Sed neque huic operi major multò erat successus. Ideoque consuto vulnere Intestini simul & Abdominis, reliquit sibi per horam unam vel alteram canem, sperans fore ut proprio Intestinorum motu peristaltico, immissas liquor, Chyli ad instar, in Lactea propelleretur. Votis tamen eventus haud quam respondit. Apertis etenim denuò Intestinis, injectum reperiit spiritum, paucissimis per Lactea transmissis particulis.

Allata argumenta non te movent. Addam & demonstrationem.

1º. In Intestinis vera sic secretio, ut docuit Bellini prop. 4. de motu Bili & 7. de Fermentis & Glandulis, totâ Intestinorum, præsertim tenuum longitudine, vices Arteriæ plicatæ, intortæ vel intertextæ; Lacteis hinc eductis, vices canaliculorum secretiorum; Cysternâ tandem lumbari, vices receptaculi communis agente.

2º. Testiculus humanus, ex eodem, prop. 5. de motu Bili, est glomeramen filamenti arteriosi, tercentum amplius ulnas Florentinas longi.

3º. Testiculi involucris exuti altitudo est 16. Ulna. Multiplicetur longitudine per altitudinem, habebis 4800. numerum plicarum.

4º. Fluidi secreti visciditas est in ratione reciprocâ velocitatis Sanguinis ad orificium ductus secretorii. Ex Wainright.

5º. Velocitas Sanguinis ad orificium ductus secretorii, est in ratione reciprocâ numeri plicarum convoluti ductus. Ex Bellini de motu Cordis.

6º. Ergo secreti fluidi visciditas est in ratione directa numeri plicarum convoluti ductus. Ex Wainright.

7º. Demus intestina tenuia esse octo ulnas longa, imò & plicari omni decimâ sextâ sui parte. Erunt plicæ 128. Tot tamen esse, vel tantam intestinorum longitudinem nemo credet.

8º. Demus celeritatem materierum ex Ventriculo extrusarum non superare velocitatem Sanguinis, Testiculi plicas ingredientis. Est tamen multo major.

9º. Demus insuper visciditatem secreti Seminis ipso secretionis instanti esse ad visciditatem materiae

riæ hujusce glutinosæ, quæ supponitur per Lactea transmitti, ut 1. ad 2. Est tamen juxta Leuvenoechium, Semen ipso secretionis instanti, ejusdem fere tenuitatis, ac aqua communis, proinde materie morbificâ decies saltē minus viscidum.

His positis habes tres terminos, viscositatem scilicet Seminis, numerum plicarum, quæ hunc viscositates gradum dant, & viscositatem materiæ morbificæ secernendæ. Quæritur quartus terminus, numeros scilicet plicarum, quæ posteriorem hunc viscositatis gradum dent. Terminum hunc facile invenies per regulam auream, in hunc modum. 1: 4800: 2: 9600. ergo ut talis materia per Lactea secerneretur, deberent in Intestinis tenuioribus dari 9600. plicæ, vel quod idem est, deberent Intestina tenuia esse 600. ulnas Florentinas longa, h: e: septuagesies quinquies longiora quam supposuimus.

Quod si materiæ morbificæ viscositas esset decies major viscositate Seminis, deberent Intestina tenuia esse 3000. uln, lōga, h:e: 375^{ies}. lōgiora quā supposuimus.

Demum si Intestinorum tenuium longitudo, sit quinque tantūm, vel sex ulnarum, deberet illis addi canalis 2994. ulnarum, ut supposita materia secerneretur. Nam 1: 4800: 10: 48000. Sed 48000. plicæ dant ulnas 3000. Hinc detrahito numerum ulnarum Intestinis tenuibus datarum, scilicet 6. habebis 2994. numerū ulnarum adhuc desideratarum.

C O R O L L A R I U M.

Balsama, Therebintina aliaque viscosa medicamenta, leni Intestinorum & Ventriculi calore solvuntur in tenuem, aqueum fere humorem, eorumque partes magis spirituosaæ tantūm in Sanguinem, relictis viscidis, transmittuntur.

CAPUT QUINTUM.

Medicamentorum Febris curandis Dicatorum Operationes & Effectus.

EA hic sola considerabimus remedia, quæ ipsa causæ antecedentis ablatio indicat. Hæc ad quatuor redigi possunt, Phlebotomiam nimirum, Vomitoria, Purgantia, & quæ Sudores & Transpirationem insensibilem movent.

Phlebotomiæ explicationi supersedemus, tum ne constitutos opusculi limites transgrediamur, tū quod Provinciam hanc nactus clarissimus Bellini ita ornaverit, ut neque dictis quidquam addere, neque dicta contrahere facile sit, ideoque sit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VOMITORIIS.

Vomitoria ea dicuntur, quorum vi contenta in Ventriculo per os rejiciuntur. Hæc autem ita agunt, ut vel solius Ventriculi contractionem cieant convulsivam; vel subitaneam ejusdem angustationem, à contractis convulsivè Musculis abdominalibus, & Diaphragmate; vel utramque simul. Possunt autem ad duas classes reduci; Eorum scilicet quæ Ventriculum haudquaquam ingrediuntur, sed vel

Sanguini commixta, vel partibus, quas inter & Ventriculum Sympathia reperitur, applicata, effectus suos præstant. Et eorum quæ deglutita in Stomachum topicè agunt.

Hæc in Febrium curatione exhibentur, exhibitis sequentia observantur phœnomena.

1°. Ingesto Vomitorio oritur Nausea, huicquæ non raro succedit statim ejectio. 2°. Percipitur aliqualis dolor, nonnunquam mordicans. 3°. Ingestum medicamentum, nulli prorsus, vel saltem paucæ admodum diversæ materiæ commixtum fæpius rejicitur. 4°. Intercedit tamen, ut plurimum, tempus longiusculum, Vomitorium inter ingestum, idemque ejectum, vel primum vomendi actum. 5°. Finitâ prima ejectione quiescit diutulè Stomachus, doloris, molestiæ, fastidiique immunis. 6°. Invadit iterum vomendi necessitas, movetur Ventriculus, fitque denuò quies. 7°. Atque ita deinceps sibi per intervalla succedunt Vomitus & quies; donec tandem omnis fastidii sensus extinguitur. 8°. Priores duo vel tres actus sibi insistunt, sequentibus per intervalla sat longa factis, ut plurimum fortiores. 9°. Illis, medicamentum aliis confusum materiebus, his, ingestio fluido, aquæ v: g: tepidæ, vel sero lactis commixtus mucus, vel guttulæ humoris acris, falsuginosi, vel ingrati admodum saporis, & nauseosi, diversi prorsus coloris, consistentiæ & saporis à sumpto remedio excernuntur. 10°. Subducitur aliquando Alvus, præsertim si fortius fuerit Vomitorium, vel diutius manescit intra Ventriculum incis. 11°. Inter vomendum

totum concutitur Corpus; nulla fere pars est, quæ non patiatur, convellatur, & finito Vomitionis actu erumpunt crassiores Sudoris guttulæ,

C O R O L L A R I A.

I.

DE B E T U R primario Vomitus stimulo quem producunt Vomitorii particulæ. Quod alterius confirmatur Vomitu quem post haustos copiosius liquores, aliundè innocuos, patiuntur Homines integrâ sanitate constituti. Horum autem liquorum particulæ tales sunt, ut si in Ventriculo moram trahant, diversam facile induant figuram, evadantque acres. Vel illis parva inest stimulandi facultas, quæ quantitatis fluidi ratione multiplicata effectum fortitur. Vel si blandi admodum sint, distendendo aut premendo stimuli vices gerunt: Cum stimulus sit ille impetus, quo partes à naturali contactu dimoventur; sive cohærentes disjungantur; in contactum nitentes, vel ad eum positæ, ab invicem divellantur, omnino separantur, sive premantur solum vel inflectantur.

II.

Perseverat Vomitus per vices sæpius iteratus stimulo materiae morbificæ, quæ ipsis vomendi actibus excernitur. Pronum enim est conjicere stimulantes Vomitorii particulas, primis conatibus excuti,

enti, abripi, ac divelli per vim vehementis & copiosi Vomitūs, totum Ventriculum exprimentis undique, & abluentis, abstergentisque penitus allapsu vomendi humoris. Si penetrare dixeris particulas, hærereque inter villos membranæ Ventriculum succingentis: Quæro cur non exprimantur, vel saltē cur per intervalla tantūm stimulent; per intervalla quippe instat Vomitus? Si in villis perseverare nūsum ad contractionem: Quæro cur post aliquot ejectiones extinguitur (cessat enim vomitus) ille nūsus, nisi aqua tepida, vel aliud hujuscemodi fluidum ingeratur: Cur eo ingesto perseveret? Aqua forsan tepida mole sua Ventriculum distendit. Forsan potius (& hoc quidem crediderim) fōtūs munera agit, vasa Glandularum excretoria laxat, matericm Glandulis concretam, spissam, viscosam, difficilius mobilem diluit, attenuat, aptiorem quæ excernatur, reddit, verbo ex ipsis elicit. Hæcque in Ventriculi cavo collecta, novum parit stimulum. Si aqua frigida fuerit vel calida, eademque quantitate sumatur, Vomitum haudquaquam renovat.

III

Tota, quæ Vomitu excernitur, morbifica materia, Ventriculo ante exibitum Vomitorium haudquaquam extitit. Aliter enim. 1º. Cum ex supradictis, materia hæc stimulante vi polleat, & per se Vomitum pariat, expressis Vomitorii particulis; ejicerentur è Ventriculo contenta, nullo exhibito medicamento, quod non tantum non necessarium esset, sed potius noxiūm. 2º. Vel saltē Vomitus

continuus esset, donec tota exanthlaretur. 3°. Primitis ejectionibus Ventriculus, vel suæ contractionis vi, abstergitur. 4°. Neque propriæ tantum contractionis vi, coarctatur Stomachus / præsertim in violentiori Vomitū) pellunturque in Oesophagum contenta: Accedit insuper contracti primo Diaphragmatis & abdominalium dein Musculorum energia, ut facili experimento demonstravit Academiæ nostræ dulce decus, Illustrissimus Dominus C H I R A C. 5°. In alia opinione reddi nequit ratio diversi, diversorum Vomitoriorum effectus: v. g. cur Antimonialia majorem, aqua tepida minorem hujuscem materiæ copiam eliminent. Nam cum utraque Vomitum cieant, & evomenda matières in Stomacho contineatur, ut æqualis producatur effectus, hoc unum requiri videtur, scilicet ut ab utrisque cædem numero ejectiones producantur, singulisque eadem insit homologè vehementia. Fit autem hoc, si sumptæ utrorumque quantitates sint in ratione reciprocâ, facultatis eorum vomitoriæ. Diversi tamen prorsus sequentur effectus.

I V.

Recepti Ventriculo Vomitorii particulæ ulterius solvuntur, & sive proprii vehiculi, si detur, sive hujus simul & succi stomachalis beneficio, ubique cavitatis raptæ, parietibus applicantur. Infiguntur aliæ fibris, aliæ emissariorum, quibus Glandulæ in Stomachum aperiuntur, osculis; conduntur plies istæ, illæ glutinis ad instar lateribus adhærent: Reliquæ fluido innataentes, vel contentis crassiori-

bus permixtæ, proprio hic & illic ruunt in fibras impetu (idem autem est particulæ in fibras, vel fibras in particulæ impetrere, idemque pro ratione vehementiæ effectus contingit) Hinc innumera simul puncta extra situm naturalem pelluntur: Inde inæqualis influxus, fibrillarum contractiones, ut pulsæ locis puncta restituant, eoque majores, quo longius puncta, è siccâ fuerant remota; Ventriculi Spasmus, Glandularum & excretiorum pressio & evacuatio. Adde quod excretoria antea constricta, particulis medicamenti vim cunei agentibus, dilatantur, contentæ materiæ viscidioris & obstruentis particularum cohæsiones tolluntur. Hæc majorem adeptæ fluxilitatem, per aperta effluens vasa, faciliorem retro appellenti fluido ingressum cedit, novum hoc proritat.

Neque cessat ab expressis Vomitorii particulis, fluidi, vel materiæ potius morbificæ, ex emunctoriis effluxus. Imo liberior fit & copiosior; cumulataque materia usque eò retinetur, donec stimulatis, primo Ventriculi, & dein per Nervorum consensum, Musculorum abdominalium & Diaphragmatis fibris, horum convulsiva excitetur contractio, quam quies excipit, collectâ de novâ materiâ ierum turbanda. Sicque sibi fiunt alterna Vomitus & quies, donec tandem effluens materia ulteriori stimulo careat, vel ulterior copia è Glandulis nequeat elici.

V.

Dilabuntur sæpe in Intestina aliquot Vomitorii

particulæ , quarum actio rarissimè ultra primas vias extenditur. Hæ dissolvunt fæces , fibras Intestinorum irritant & Catharsim movent leniorem.

VI.

Frequenter celerius, validiusque, dum fit Vomitus, contrahuntur singula corporis vasa ; sed imprimis quæ Musculorum textum ingrediuntur. Contentum fluidum agitatur , attenuatur , citationi gressu anteriorius propellitur, majori momento in Obstructiones, si quæ adsint , fertur : Hæ in integrum tolluntur , vel saltem parum Naturæ præstandum relinquuntur. Idem dicendum de Glandulis, non primarium tantum viarum, sed & reliquarum Corporis partium, præsertim cutis , ut ex crassioribus Sudoris guttulis, sub finem cujuslibet vomendi actus erumpentibus patet.

VII.

Cur in Febris à gula vel à frigore , tanti usus sint tantique successus Vomitoria : Illis Ventriculus & Intestina ; his præter Ventriculum & Intestina ab acri frigore minus secura , tota Corporis peripheria mali sedes est. Hincque clarum fit , cur tempistica Vomitio Febri sæpius occurrat.

VIII.

Vomitoriorum particulæ exiles sunt rigidæ, duræ, solidæ, angulosæ, tenaces & resinosæ. Ultimum de Ipecacuanhâ , radice Brasiliensi verum esse, extra-

du-

bium posuit Dominus Bolduc, Pharmacopola Parisiensis. Grifaceæ, inquit in Ephemeridibus Societatis Regiæ Parisiensis anni 1700. unciae octo, menstrui sulphurei, spiritus vini scilicet probe rectificati, auxilio, dederunt drachmas decem resinæ: Reliqua quantitas, menstrui aquosi, scilicet aquæ pluviae, auxilio, dederunt extracti Salini uncias duas. Subnigræ verò unciae octo, mediante priori menstruo, dedere resinæ drachmas sex: Reliqua quantitas mediante aquâ pluviae, dederunt extracti salini drachmas sex. Superstes utrique extractioni quantitas ponderabat, Grifaceæ, uncias quatuor, Subnigræ uncias sex. Et in Ephemeridibus anni 1701. asserit extractam resinam, potentius multò, radice ipsâ vomitionem ciere, paucâ aut nullâ relictâ in recessu astrictione; salinum verò extractum Diuresim movere, & blandam Catharsim, sine ullo fastidii sensu, verbo vim radicis specificam, Dysenteriæ medendi, retinere.

IX.

Vomitoria minus comitatur periculi quam alia remedia interna, saltem plurima. Hæc Sanguini miscentur, particularum cohæsiones promovent, tollunt, mutant, ignotos plures effectus producunt, canalibus volvuntur angustioribus, debilibus, tenuiori fluido repletis. Illorum actio intra primarum viarum, canalis scilicet tortuosi ab Oesophago ad Anum usque protensi, confinia terminatur: Cavitate proin latiore, parietibus datâ firmioribus, & in viscidiores, crassioresque humores operantur.

K

Neque obstat rumpi nonnunquam capillaria sanguifera. Incusandus in hoc casu Medicus , qui vel Sanguinis missionem , ut deceret , non præmiserit ; vel remedium ægri viribus non accommodaverit. Remedii enim cuiusvis energia debet esse in ratione composita virium ægri , & periculi morbum comitantis.

ARTICULUS SECUNDUS;

DE PURGANTIBUS.

Purgatio , quam Græci dixerunt Catharsim , est excretio per Alvum eorum quæ ex aliqua Corporis parte, per Intestina fluere ac devolvi possunt. Qualia sunt , 1°. Aër , Saliva , mucus Oris , Membranæ pituitariæ & Oesophagi in Ventriculum dilapsa. 2°. Cibi & potūs reliquiae. 3°. Humor gastricus & intestinalis , atque horum mucus. 4°. Succus Pancreaticus & Bilis utraque. 5°. Fluida quævis in massa sanguineâ contenta. 6°. Lympha aliive humores extravasati , receptaculis collecti.

Medicamenta , quorum vi hæc excretio sit . purgantia dicuntur , & formâ solidâ exhibentur , vel formâ fluidâ. Ingestis hæc succedunt. 1°. Cardialgia , nausea & ructus cum obscuro Ventriculi dolore. 2°. Ingentes sed vagi per Abdomen dolores , borborygmi , calor & intumescentia infimi Ventris. 3°. Pulsus validior & frequentior , cum calore totius Corporis & siti adauctis. 4°. Dejectiones stercorosæ , mucosæ , spumescentes , copiosæ ,

aquaæ, cum Ventriculi reliquique Abdominis levamine. 5°. Debilitantur vires, genua labant, totus Homo languet.

COROLLARIA.

I.

PURGANTIA operantur in Ventriculo & Intestinis, eorumque particulæ fibras irritant, haud dissimili modo ac dictum est superiùs, de partculis Vomitoriorum.

II,

Acutior multò sensus inest fibris Intestinorum, quam Ventriculi. Quod tribuendum puto. 1°. Vi quâ in eas impingunt majora ciborum frustula solidiora, viâ perpendiculari delapsa, fibrarum Oesophagi contractione trusa, forti Diaphragmatis & Musculorum abdominalium actione pressa, volutata, & ad omne visceris punctum acta. 2°. Repe-titis partium vicinarum ictibus. 3°. Diuturniori alimentorum hic, ratione positionis, figuræ & capacitatis Stomachi, moræ. 4°. Afflictui forsitan fibrarum mutuo. Undè premi, relaxari, atteri, obtundi eas quis non videt?

III.

Rarescunt tum Ventriculi, tum Intestinorum con-

40

tenta, & oscillatorius fibrarum motus augetur.

I V.

Acceleratur Sanguinis circuitus, aliæque secretiones imminuantur, quandoque supprimuntur. Primum, quod stimulata ubique vasa humores validius propellant: Forsan & ipsæ purgantium particulæ, humorum particulis solidiores, & proin capaces majoris motus, humores, quibus ut inferius probabitur, miscentur, validius atterrunt, antrorum agunt. Secundum, quod fluida eò semper vergant, quò minorem inveniant resistentiam. Tollitur autem resistentia versus Ventriculi & Intestinorum Glandulas, & quæ in ea hiant vasa excretoria, crebrâ validâque irritatione lassita, emuncta, expressa, dilatata. Hinc obortâ purgatione, Perspiratio, Saliva, Urina parca emititur.

V.

Præter copiosam excretionem per Glandulas Intestinales & Ventriculi, ductum pancreaticum & choledocum, quâ fœces remollescunt, viaque lubrica fit; augetur motus Intestinorum peristalticus, simul & partium respirationi inservientium. Primum, ex velocitate quâ materiæ excernuntur, & doloribus, quibus æger cruciatur. Secundum, ex fœtu, Utero materno constituto Alvum non deponente, (nisi ruptis membranis aërem hauriat & hinc est quod matrem defœdet) inspiratione magnâ, longâ, Abdominis constrictione in iis, qui alvum etiam natura-

41

turaliter deponunt, frustraque sperato in morituris,
vel Syncope laborantibus*, patet. *purgationis effectus

V I.

Purgantia agunt in massam humorum, eosque solutos in Intestina copiosè derivant; ita tamen ut bonæ pravæque indolis particulæ indiscriminatim educantur. Etenim 1º. Quis posset sibi in mentem inducere, reperiri simul in Intestinis & Ventriculo, quæ decem, aliquando quindecim dejectionibus excernuntur? 2º. Vel unicâ Purgatione detumescent oedematosi pedes. 3º. Catharticis eliminantur Ascitorum aquæ. 4º. Si Purgatio frequentior fuerit & validior, marcescit & extenuatur æger, incidiâ quasi confectus. 5º. Catharticis curantur quotidie morbi, tollitur ut aiunt veteres Cacochymia, h: e: prava eliminantur fluida. His tamen nemo unquam dixerit vires soveri, conservari; ideoque nec illorum secessu deberent imminui.

V II.

Plures Purgantium particulæ in Sanguinem transmittuntur, Lacteorum aliæ, aliæ Absorbentium viâ. Quod mirum in modum confirmant, imo demonstrant, 1º. Qui emittitur aliquando copiosus Sudor, aliquando copiosa Urina, quæ non raro tingitur; præsertim si exhibitum fuerit Rhabarbarum. 2º. Excitata in lactante puerò Catharsis, cuius nutricti catharticum exhibitum fuit.

VIII.

Vomitoria & Purgantia eadem possent facultatem
graduque tantum differunt. Nam 1°. Purgantia
majore dosi exhibita, vel minus diluta, Vomitum
excitant, & Vomitoria magis diluta purgant. 2°.
Si Catarthicum fortius sit, vel æger debilior, sit
Vomitorium. 3°. Debilius Vomitorium Anum sub-
ducit: Idem præstant ex Vomitorii particulae, quæ
in Intestina, inter vomendum detruduntur. 4°.
Idem remedium v:g: Vinum emeticum, aut decoc-
tum Tabaci, si ore sumatur, Vomitum, si sub ene-
matis formâ injiciatur, Catharsim ciet. Quæ ef-
fectus diversitas hoc modo videtur explicanda.

Si Medicamentum (sive ex Purgantium, sive
ex Vomitoriorum familia petatur) ejus sit energiæ,
ut vellicet statim, stimuletque fortiter Stomachi,
fibras, Glandularum orificia dilatet, contentam-
que materiem fluxiliorem reddat; sit Vomitus. Si
mulum quippe fortiorem, fortior excipit contractio.
Stimulus autem in hoc casu universalis est, vel ubi-
que visceris sit (raptis ut superius animadverti, in
omnem sensum medicamenti particulis) & proin-
de contractionem excitat universalem, quâ Pylorus
fibris numero plurimis, validis, sibique confertim
appositis donatus occluditur, versus orificium su-
perius ratione manipuli crassi, partem Stomachi su-
periorem inter duo orificia positam occupantis, ele-
vatus, adducitur, tota Ventriculi cavitas coarcta-
tur, complicatur simul, fundum superiori parte
mobilius sursum contrahitur, contenta premuntur,

& quasi impulsu emboli in Oesophagum propelluntur per Os excernenda.

Si is fiat stimulus, qui motum naturalem Stomachi augeat, truditur in Intestina medicamentum, unâ cum solutis materiebus, quæ in Ventriculo continebantur. Cumque horum fibræ (ut monui) acutioris sensus sint, in validiores & frequentiores contractiones trahuntur, adhærens parietibus mucus excutitur, abraditur, extillans compressis Glandulis humor, vias lubrefacit, fæces particularum medicamenti actione solutas fluxiliores efficit, adauctus peristalticus motus in Rectum omnia agit, partiumque respirationi inservientium pressio per Anum eliminat.

Nec in alia opinione concipitur quomodo diversa hæc medicamenta, eosdem aliquando, aliquando diversos in eadem parte effectus producant. Ore enim sumitur utrumque, & per Oesophagum in Ventriculum dilabitur, parietibus ubique iisdem applicatur, in easdem agit Membranas, Fibras, Glandulas.

Quæ Sanguinis massam subeunt fortioris Cathartici particulæ, humores attenuant, partium cohæsiones tollunt, novas pariunt, effectus plures ignotos præstant, vasorum fibras irritant, circuitum, & decurrentis Sanguinis in oblatas resistentias vim adaugent. Hinc solvuntur, comminuuntur, quæ in plexibus arteriosis, & complicatis vel flexuosis Glandularum vasis, reperiuntur Obstructiones, quæque eas efformarunt viscida, tenacia, per ductus choledocum & pancreaticum, aliosque excretorios in Intestina hiantes, cum fluidioribus plurimis deyol-

vuntur per Anum eliminanda.

Ex dictis sequitur. 1º. Commoda Purgationis esse expurgationem excretorum, & refectionem Glandularum Ventriculi & Intestinorum; sed imprimis Intestinorum, aliorumque Corporis vasorum, cum activae sint & exiles Catarthicorum particulæ.

2º. Multum tamen periculi fortiorē comitari, ratione mutationum, quæ Sanguini accidunt; Unde possent Obstructiones multiplicari.

3º. Periculosiorem esse Purgationem, saltem vehementiorem, vel Vomitione vel venæ Sectione. Primum ex dictis superius de Vomitoriiis constat. Alterum ex iis quæ demonstravit Bellini de missione Sanguinis, clarum est. „ Quia inquit quicquid est „ suspicione in missione Sanguinis, ad solam fermentationem non naturalem, quæ possibilis per ipsam est in reliquo Sanguine, redigitur; & hoc „ uno de nomine periculo non vacat. Si igitur hujus mali suspicione careret Purgatio, illa potius adhibenda esset, quam venæ Sectio, cum Purgatio ejus loco cæteroquin esse possit. Sed res è converso sè habet. Suspicio enim ejus mali à missione Sanguinis, est suspicio rei possibilis, non tam necessariò conjunctæ cum qualibet missione Sanguinis. In Purgatione autem necessarium est Sanguinem solvi à naturalibus cohesionibus, seu recedere & dimoveri à sua compositione. In Purgatione igitur periculum erit certum, in venæ sectione dubium, h: e: erit Purgatio venæ sectione periculosior.

ARTICULUS QUARTUS.

DE REMEDIIS, QUÆ AUGENT Excretionem Cutaneam.

Excretio cutanea duplex est; Altera madoris conspicui, altera vaporis formâ exhalat. Hæc Diaphoresis, vel transpiratio Sanctoriana dicitur, quæque eam movent remedia nuncupantur Diaphoretica. Illa Sudor audit, quem Sudorifera, vel ut aliis placet, Hydragoga eliminant.

Asumpta hæc, gradu tantum actionis diversa, subsequuntur pulsus plenus, validus, frequens; calor intensus; Faciei rubedo, & Cutis mador. Non operantur verò in Stomachum, vel Intestina.

COROLLARIUM.

Medicamenta hæc sunt partium tenuium, exiliū aliquatenū rigidarum, minūs tamen quam sint Purgantium, vel Emeticorum. Humores movent, solvunt, attenuant, divisam Lympham sui juris faciunt, & ad peripheriam Corporis uberiūs derivant. Hinc laxantur vasa, diluuntur, dissolvuntur contenta; verbo tolluntur Obstructiones.

Diaphoreticorum particulæ exiliores, difficiliūs tamen solubiles creduntur particulis Sudorificorum.

Conjectura hæc videtur confirmari ex eo quod, 1º. attenuatio Sanguinis successivè in Diaphoresi, subito in Sudatione fiat. 2º. Animalium partes Sudorem, mineralium transpirationem insensibilem, ut plurimūm excitent.

M

Commoda & successum horumce remediorum plana reddit clarissimus Pitcarne , dissertatione de curatione Febrium , quæ per evacuationes instituitur. Demonstrat quippè Febres eó faciliùs, citiusque cutari , adactâ Perspiratione , quam adacto fluxu alvino , quò cutanea secretio excedit eam , quæ fit per Intestina. Hujus autem ad illam ratio est , ut 4. ad 48. vel quod idem est, ut 1. ad 12. ex Sanctorii Aphorismis 4º. & 59º. Sectionis primæ. Undecies ergo major spes affulget curandæ Febris per Perspirationem , quam per fluxum alvinum ; ideoque si quâlibet die Alvum in statu naturali semel deponeret Homo , idemque dein corriperetur Febre , cui debellandæ sufficeret duplicata Perspiratio : Adhuc ut eadem Febris alvino fluxu sanaretur , requirerentur viginti quatuor dejectiones intra diem. Quid si decupla requereretur Perspiratio , requirerentur 120. dejectiones alvinæ.

Sin vero determinatam Aphorismo X. Sectionis tertiae rationem , inter excretionem alvinam, & transpirationem insensibilem admittamus , haud sufficient 120. dejectiones , requirentur 140. nam

I: 14:: 10: 140.

Inde tamen haudquaquam concludimus præscribenda esse statim hujusmodi remedia , non præmissis aliis evacuationibus. Imò potius contendimus Febres exinde adaugendas. Obstructiones quippe tunc (initio scilicet Febris) majores , majorem occupant Arteriæ sive contoriiæ , sive in plexus reticulares efformatae , longitudinem , nimiamque afferunt hisce medicamentis resistentiam ; quæ per directiores Arterias, cæterasque liberas provoluta ,

divisum tantum naturale Serum abripiunt, Sanguinemque efficiunt tenaciorem crassioresque, Obstructiones compactiores, Febrem intensam, malum majus.

E' contra verò minutas valdè, sive circulantis Sanguinis impetu, sive aliis superiùs expositis auxiliis, Obstructiones extremis jam vasis hærentes, exhibita (in declinatione scilicet Febris) remedia hæc faciliùs tollunt: Solutis particulis vel è Corpore statim eliminatis, vel in continuas Venas adactis, ut ulteriori circulatione attritæ excernantur.

C O R O L L A R I A.

I.

PRÆMITTE NDA est cæteris in curandâ Febre continuâ, auxiliis, Sanguinis missio larga, ex ampliori Venâ, per amplius emissarium; tum ut removeatur causa morbi, tum ut præcaveantur excitandi Vomitus incommoda. Demonstravit quippe Bellini 5. & 6. de missione Sanguinis Propositionibus, „Venam in omni morbo „esse secundam in quo aut minuenda quantitas, „aut augenda velocitas Sanguinis, aut refrigerandum, aut humectandum, aut aliquid hærens vas, sis dimovendum, atque abripiendum.

II.

Proximum est cieri Vomitum, præsertim si Fe-


bris ingluviei, vel frigori natales debeat. Purgatio hunc comitetur, vel cito pede subsequatur. Fortior tamen non sit.

III.

Ultimum sed certissimum Febris auxilium à Dia-phoreticis, declinante Febre, præscribendis peten-dum.

E R G O,
FEBRIS CONTINUA AB
OBSTRUCTIONIBUS.





D. CAJETANO
AZZOPARDO,
PRIMAM APOLLINAREM LAUREAM
CONSECUTURO.

DUM Naturam omnem, & cunctarum seminâ rerum
Scrutatur labor humanus, dum singula pândit,
Cœlumque, Orbemque, atque alti regna humida Ponti,
Doctam inter turbam quoque te rapit ardor honestas
Laudis, & arcani trahit in Miracula Mundi,
Et dudum ignotis jubet addere lumina rebus.
Nec te pœniteat Februm cognoscere causas,
Atque graves Medicis morbos compescere Lymphis.
Quisquis erit labor ille, Deus, si credere dignum est;
Idem, qui magno lucem largitur Olympo,
Haud Frustrâ has Artes coluit, morbisque malisque
Obstitit, & sævas jussit mansuescere pestes.
Tum primùm occultas plantarum discere vires
Inceptum, & vitam trahere ex medicantibus herbis;
Jussa salutiferos tum reddere gramine rores,
Quæque altis penitus sylvis, quæque amnibus uidis
Nascuntur; Malvæque, Patrique facerrima Phœbo
Salvia, & ignavo fœcunda Papavera somno.
Sint bello insignes alii & discordibus armis,
Mitto equidem, insanum decurrant pupibus æquor;
Nomina sideribus faciant, studiisque pererrent
Suspensumque globum Terræ, & spatia ardua Cœli;

Tu sequere egregias ; opera inter talia , curas
Usque animo : hæ tibi sint artes , imponere fatis
Jura , morasque graves instanti obtendere leto ,
Atque manu medicâ fugientem sistere vitam.
Sic tibi Naiades nostræ , nemorumque Sorores ,
Quæ medicos nôrunt usus , artemque medendi ,
Collectas herbarum animas succosque potentes
Suppeditent. Sic Tartaream petat umbra paludem
Ratior Arte tuâ , & fractis mors improba telis
Vana fremat , febribusque queratur ineribus iras
Degeneres flecti , atque graves mitescere morbos.
Denique sic quando ipsa suum det inertibus umbris
Victorem heu ! pariter victrix , penitusque necesse est
Ditis adire domos stygii , & loca noctis opacæ ,
At saltèm , Elysio in magno , doctam ordine gentem
Discere , & egregios dabitur cognoscere manes ,
Pœonaque , Hyppocratemque , Dioscoridemque , tuumque
Bellinum ; quibus ipse , fides si vatibus ulla est ,
Munera præ reliquis sua credidit æquus Apollo ,
Letalesque dedit morbos mortalibus ægris
Pellere , & invitas de corpore cogere pestes ,
Artibus his îsdem , fatique polentibus herbis.
Tum nemore in gelido , aut secreti ad fluminis undam ,
Morborum causas , non ultrà obnoxius illis ,
Exquirens , penitus cernes longo ordine fibres
Ire tuas Orbem in miserum , sortemque quereris
Infandam , atque graves hominum miserabere casus .

JOSEPH. PHILIPPS ANGELUS.
Art. Mag. & Med. Cand.

